



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 15. Antonii Bichii Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII. compesceret, & Nursiam Sabinorum  
 A.C. 1691. urbem pacatam redderet, sed etiam  
 expugnato Castro seditiones ubique  
 exortas sedaret. His feliciter peractis,  
 ab Innocentio X. Nuntius Apostolicus  
 Neapolin decretus, ab Alexandro VII.  
 Leodiceæ Archiepiscopus, ac demum  
 pro comprobando Leopoldi Cæsaris  
 connubio Viennam Legatus mitteba-  
 tur, quo in munere tantam hujus Im-  
 peratoris existimationem sibi compa-  
 raverat, ut hic per literas immensis  
 pene elogiis refertas Julium Romana  
 Purpura decorari, enixe peteret. Tan-  
 dem Julius Vienna Romam reversus,  
 pluribusque Patrum cætibus ob exi-  
 miam eruditionem adscriptus, ibidem  
 Mense Martio ferme octogenarius  
 decessit.

## §. XV.

*Antonii Bichii Cardinalis decessus.*

*Corn. relat.*  
*de la Cour*  
*de Rom.*  
*Eggs Purp.*  
*doct. p. 448.*  
 Præcesserat Julii obitum Antonius Bi-  
 chius Patritius Senensis, Alexan-  
 dri VII. Pontificis ex Sorore Nepos,  
 qui emenso studiorum curriculo Fabium  
 Chisium Coloniensem Nuntium in sua  
 legatione secutus, ab eodem ob præ-  
 claras animi dotes in laboris partem,  
 & consiliorum communicationem as-  
 sumptus est: Hujus Nuntii Apostolici

ma-

magisterio tantum profecerat Bichius, Sæc. XVII.  
ut Colonia reverius, ab Urbano VIII. A. C. 1691.  
in Belgium Legatus decerneretur, ubi  
non modo Lotharingii Ducis causam  
utiliter gessit, sed etiam Jansenii erro-  
ribus summa vigilantia, ac imperter-  
rito animi robore obstitit: Hoc mini-  
sterio præclare defunctus, in præmium  
operæ strenue navatæ primo Ecclesiam  
Montis Ilcini ab Innocentio X. & ab  
Alexandro VII. Auximanam Episcopus  
regendam suscepit, ubi totus fuit in  
sublevandis populis, in tranquillitate  
ubique conservanda, in restituendo Dei  
cultu plurimum neglecto, in extirpan-  
dis vitiis, & revocanda Ecclesiæ di-  
sciplina: Pastoralis huic labori intentus,  
ab eodem Pontifice Cardinalatus ho-  
nore & Urbini Legatione, pluriumque  
Congregationum subselliis exornari pro-  
meruit, tantaque prudentia, mansue-  
tudine, justitia & integritate hanc Pro-  
vinciam administravit, ut ejus memo-  
ria adhucdum in Urbinatis populi cor-  
dibus insculpta vigeat; præprimis enim  
leges Reipublicæ utilissimas condidit,  
Clerum populumque exorbitantem ad  
honestatem reduxit, & Pisauri portum  
jam dudum alluvionum & maris irati  
injuria navigiis impervium reseravit,  
& sicarios publicæ tranquillitati infestos  
sustulit, atque repressit: Postquam igitur

tur

Sæc. XVII. tur non modo Rectoris, sed maxime  
A. C. 1691. optimi Parentis nomen sibi a singulis  
 conciliaverat, post quinquenni labores  
 publicos ad Ecclesiam suam Auxima-  
 nam rediit; quam indefessa vigilantia  
 usque ad obitus sui diem primam Fe-  
 bruarii rexerat: Annum agebat ætatis  
 suæ septuagesimum septimum. Scripse-  
 rat præclaras, utilesque constitutiones  
 pro Diæcesi Auximana præter mystica  
 opuscula, orationes atque epistolas.

## §. XVI.

*Joannes Franciscus Ginettus Car-  
 dinalis mortuus.*

*Palat. fast.  
 Card. l. 5.*

Quo die hoc anno Joannes Franciscus  
 Ginettus naturæ debitum solverit,  
 certo haud constat: Hic Veliræ anno  
 Christi millesimo sexcentesimo vigesimo  
 sexto natus, a Martio Ginetto Car-  
 dinale Patruo suo Romam evocatus, in  
 pietatis exercitiis, ac scientiis uberri-  
 me enutritus erat: quapropter ab Ale-  
 xandro VII. Cameræ Clericus, & postea  
 Pontificii ærarii Præfectus nominaba-  
 tur: demum ab Innocentio XI. æquissi-  
 mo meritorum Judice ob integritatem,  
 aliasque præclaras virtutes Sacra Pur-  
 pura, & Firmano Archiepiscopatu ho-  
 noratus est: ubi etiam anno ætatis suæ  
 sexagesimo quinto vivis valedixit, la-  
 boris